

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Narratio comica de amicitia Damonis ac Pythiae

Omichius, Franciscus

Noribergae, 1617

Actus IV. Scena 4

[urn:nbn:de:bsz:31-138648](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-138648)

nostrum jam aduicum corrigere, & meliora docere conabatur. Sed quid ego aliena curiosè disputo? Meum potiùs negotium agendum, & Regi ea nuncianda sunt, quorum causâ hoc iter susceperam.

Actus IV. Scena 4.

PHILOTYRANNUS, DIONYSIUS, DROMISOPHILOSOPHUS.

Discrucior animi, non eò rem devenisse, ut statim in vincula conjiceretur Dion, Qui quidem jam fugâ elapsus est: ac nobis metuendum videtur, ne ille aliquando occasionem nactus, par pari nobis referat, nosq; vicissim in exsiliium ire cogat. Sed operæ precium est, illicò Regi significare hanc fugam: ne eadem ratione Damon quoq; elabatur. Non enim minùs Dione versipellis est.

Dion iste, Rex Serenissime, quem capitis supplicio jam damnaveris, evasit atq; erupit, quippe sibi malè conscius. Nunc Damonem ejus exemplo in fugam se, quam primùm potest, conjecturum, atq;

ide

ita supplicium evitaturum, est verisimile.
Quamobrem suaferim, Damonem, ne
conatum nostrum ac spem & ipse frustretur,
in carcerem mox compingendum
esse.

DIONYS. Malè profectò me habet,
quòd Dion abjerit atq; impunè excesserit,
postquam olfecit scelera sua reiectum
iri: immò jam reiecta sensit. Sed ne Damon
similiter elebatur, nosq; ludibrio post habeat:
illicò mitte apparitorem qui vinculis eum
constringat, atq; in carcerem teterrimum
conjiciat.

PHILOTYR. Quamprimùm Serenissime
Rex, Majestatis tuæ edicto parebitur.

I puer, & licetorem, ubi ubi sit, quare:
ac Regis nomine manda, ut comprehendat
Damonem. Nosti, nisi fallor, hoc nomine
peregrinum illum Sophistam, qui nuper
inauspicatò, in has penetravit terras. Jube,
inquam, ut hominem profundissimo includat
carceri, ex quo nec Solem, nec Lunam
intueri queat.

DROMO. Here, rectè curabitur. Et scio,
exoptatissimum licetori hunc nuncium

fore. Is enim labore tam facili potius defungi, quam fodere aut arare gestit.

MISOPHIL. Utinam meo arbitrato rem gerere, & omnes qui sibi eruditi ac sapientes videntur, calumniis de gradu dejicere, atq; ita ad corvos liceat amandare cum pamone! Nihil enim rebus humanis consultius, quam nasutos istos, qui inanibus suis disputationibus & intempestivis consiliis & principes, & pacem turbant publicam, quacunq; ratione tollere.

Actus IV. Scena 5.

LICTOR, SERVUS LICTORIS, DAMON,
EUNUCHUS, THRASO
SATELLES.

Proh summe Jupiter, quam arida mihi lingua est. quam siccae fauces! eo quod longo jam intervallo nihil ex usitato artificio lucri percipere, neq; vinum gustare mihi licuit. Et aqua ingratus potus, vires meas enervat, & minus ventriculo salubris est. Molestum verò illud otium, loculos meos planè exenteravit. Non enim offertur jam occasio vel tantillam promerendi mercedem. Quod nisi canibus